

DISSERTATIO ^{Q.} D. B. V.
MEDICA INAVGVRALIS
DE

DYSENTERIA,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

D O M I N O

GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, AC MONTIVM,
ANGARIE ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

PRÆSIDE

RVDOLFFO GVILIELMO CRAVSIO,
HEREDITARIO in Mellingen/
PHILOSOPH. ET MED DOCTORE, PRAX. ET CHIM.
PROF. PVBL. ACADEMIÆ SENIORE, ET COLLEGII
NAT. CVRIOS. COLLEGA,

Patrono, & Præceptore suo aternum devenerando,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia DOCTO-
RALIA, MORE MAIORVM ritè capeffendi,
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBMITTET

IOHANNES PHILIPPVS CROLLIVS,

GELNHVSA WETTERAVVS,
HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS,

IN AVDITORIO MAIORI,

A. D. Octobr. A. C. MDCCVIII.

7 E N Æ,

Litteris KREBSIANIS.



VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis, Excellen-
tissimis, atque Prudentissimis,

DN. PRÆTORI,
DN. CONSULIBVS,
COETERISQVE INCLYTÆ ET

IMPERIALIS

CIVITATIS GELNHVSANÆ

SENATORIBVS

PATRIÆ VERE PATRIBVS,

PATRONIS ATQVE FAV-
TORIBVS SVIS MAXIMIS, IN OB-
SERVANTISSIMI ANIMI TESSE-

RAM DISSERTATIONEM HANC IN-

AVGVRALEM D. D. D.

IOH. PHILIPPVS CROLLIVS,
GELNHVSANVS,



L. D. B. V.

De Dysenteria.

§. I.



Um nobis animus sit, *jussu Illustris & Gracis-*
simae Facultatis Medicae dissertationem *Inau-*
guralem conscribere, placet nobis in eadem
atrocis istius alvi fluxus, qui DYSENTERIAE
nomine venit, naturam, atque curatio-
nem, quantum fieri potest, breviter & cu-
ratius evolvere. Hoc potissimum argu-
mento eò permotis, quod plerumque ultimâ æstate, primis-
que autumnî temporibus, suam, in genus humanum savi-
tiem, præ reliquis anni temporibus, quam maximè exercere
soleat, nosque ipsi, auxiliante DEO, hunc hostem in Patriam
aliquando grassantem, commodis artis præfidiis felicissimè sæpè
profligaverimus. Hoc nostrum propositum ut feliciter even-
niat, Summi Archiatri divinum imploramus auxilium!

§. 2. Debet DYSENTERIAE vox natales suos Græcis:
Composita quippe est ex particulâ δὲ, quæ in compositione
difficultatem, malitiam, atque infelicitatem innuit; Vocibus-
que ἐντερον, intestinum, & πένω, fluere significantibus; ut
ita, ratione Etymologiæ, profuvium intestinorum, cum ma-
litiâ & difficultate conjunctum, notet. Germanis dicitur
die Ruhr; quæ vox derivari videtur à rühren, miscere, ut
notetur mistio humorum heterogeneorum turbulenta, quæ
in hoc morbo in intestinis contingit.

§. 3. Prout igitur autores modò ad hoc, modò ad i-
stud dysenteriz phænomenon, aliasque circumstantias re-
spexere magis, diversis hunc affectum insignivère synony-
mis.

* (4) *

mis. *Aliis* enim ad sensum dolorificum, & subjectum simul attendentibus, Latino idiomate audit *difficultas*, item *passio*, nec non *termina* intestinorum. *Aliis*, excretionem simul cruentam, quâ facie sapissimè se sistit, potissimum spectantibus, dicitur *diarrhœa cruenta*; Germanis die *rothe Ruhr* / *Darm Blut-Ruhr* / *Blutgang* / *Rothe-Wehe*; Illa verò, quâ vel *lactiformia*, instar lactis concreti, & mucosa, sperma ranarum æmulantia, citra insperionem micularum, & striarum sanguinearum, adeoque merè albicantia cum *terminibus* ejiciuntur, κατ' ἐξοχὴν vocatur, die *Weisse-Ruhr* / quæ quidem paulò rarior est. Communiter verò sub *albæ* nomine comprehenditur quoque dysenteria omnis citra cruorem eveniens, quæ frequentior, uti docet Magnus noster WEDELIVS, Patronus, studiorumque meorum promotor ad cineres usque colendus. *Exercit. senior. Patholog. c. XLI, p. 102.*

§. 4. Deinceps dysenterix vox secundum derivationem suam, & generaliter spectata, ad varias p. n. alvi dejectiones applicari potest, quare & ejusdem *homonymia* nobis lustranda venit. Significatu generali sumpta includit quasvis alvi dejectiones absque cruore contingentes, qualis est, *dyarrhœa*, *lienteria*, & *celiaca*; paulò specialiori autem istas, quando sanguis vel solus, vel cum fecum excretionem, aut ante, aut non immediatè post easdem egeritur. Ita purus sanguis excernitur extraordinariè quandoque in *mensibus suppressis*, it: *detruncatis artibus*, vaseque aliquo insigni per violentiam, à casu ab alto, contusione, aliâque occasione aperto, ruptove; In fluxu hepatico instar loturæ carnis secedunt feces; fluxus hæmorrhoidum nimius, qui cum plerumque fiat cum alvi depositione, ignaris sæpè imponit, ut istam pro dysenteria habeant.

§. 5. Quò igitur pateat, quod omnes huc usque à nobis recensitæ alvi fluxiones ad dysenterias improprie, minusque accuratè sumptas referendæ sint, sequentem dysenterix veræ, de qua nobis solummodo in sequentibus sermo erit, definitionem tradimus: DYSENTERIA est alvi fluxus frequens
& pra-

* (5) *

& *præter naturalis*, cum febrî, & *summis* ut plurimum doloribus, modò *cruentus*, & *purulentus*, modò *albus*, modò *variegatus*, ab irritatione, & *rosoneque* intestinorum insigni ortus.

§. 6. Possimus in hâc definitione generis loco *alvi fluxum frequentem*, & *præternaturalem*, ideoque affectum hunc ad classem *symptomatum excretorum*, excessu, seu quantitate peccantium, retulimus. *Fluxum* appellavimus, quoniam non feces solidiores paulò, ut in sanis, sed quàm maxime fluxiles excernuntur; *Frequentem* & *præternaturalem* eum ideo vocavimus, quod ægri sæpius intra diem & noctem vigesies, trigesies, & multò plunibus interdum vicibus ad exonerandam alvum stimulentur; Imò, præter dejectionum numerum hic fluxus quoque fecum *mole* peccet; nulla quippe, quoad hanc adest proportio inter egesta, & per os ingesta.

§. 7. Equidem non ignoramus, quosdam præsentem affectum per intestinorum exulcerationem definire, adeoque morbis solutæ unitatis accensere. Verùm cum à potiori usitate fieri soleat denominatio, ipsæque dejectiones frequentes, exquisitissimis stipatæ torminibus, tum aliorum, tum quàm maximè ægrotantium incurrant sensus, ideo majori jure crudele hoc malum cum plerisque Pathologicis ad classem Excretorum retulimus. Ut taceamus, quod in dysenteria exulceratio ut plurimum magis in fieri saltim adfit, quàm confirmata, nisi in gravissimo malo.

§. 8. Reliqua in definitione posita exponunt *differentiam specificam*, per quam facile erit ipsam dysenteriam à sibi magis, minus ve affinis affectibus, v. gr. lienteria, cæliaca, cholera, diarrhœa, fluxu hæmorrhoidali, aliisque alvi profuviis discernere. Quatenus autem in definitione nostrâ alvi fluxum cruentum vocavimus, monemus, nos hâc voce non æquè sanguinis solius puri excretionem indigitare, voluisse; sed & quatenus iste cum fecibus mucosis, biliosis, viridibus, purulentis, nigris, ipsisque carunculis, à substantia intestinorum abrasis mixtus, ejicitur; quam

* (6) *

nostram mentem etiam ibidem posita vox, *variegatas*, satis exponit. Meminimus verò, in definitione etiam *fluxus albi*, *αἷς ἐξοχθὴν*, seu primario, tum secundo talis, seu non cruenti, quò & simul complecteremur *dysenteriam albam*, vel incruentam, quam quidam *diarrhæe malignæ* titulo insigniunt. Notanter tandem, ubi de *dolore* loquimur, adjecimus vocem *ut plurimum*, ut innueremus, quod etiam interdum dysenteria indolens observetur, de qua in subsequen- tibus.

§. 9. A definitionis evolutione provolvimur ad hujus affectus *Subjectum Principale* curatius investigandum, hoc ipsum verò *intestina*, modò *tenuia*, modò *crassa*, modò *utraq; esse*, neminem negaturum arbitramur, qui ad locum doloris, depravatam intestinorum functionem, ipsaq; simul excrementa probè attenderit; prætereaque historias de sectionibus hoc morbo defunctorum cadaverum apud *Bonettum*, aliosque consignatas perlegerit, quæ intestina sæpe exulcerata, inflammata, penitusque sphacelata reperta fuisse perhibent. Patet autem ex inspectione anatomicâ intestina nihil aliud esse, quàm anfractuosa & membranaceos canales, à pyloro ad anum protensos, perficiendo & separando chylo, fecibusvè ad tempus continendis, post excernendis destinatos, atque ex tribus, vel, ut aliqui volunt, quatuor tunicis contextos, quarum prima, sive exterior peritonæi soboles, altera autem crassior, totaq; musculosa, duplici fibrarum motricium ordine, uno interiori spirali, altero exteriori recto, seu longitudinali gaudet, cujus tunicæ ope intestina motu vermiculari quodam, peristaltico dicto, cieri, contentaq; sua partim in vasa lactifera, partim, & inutilia quidem à pyloro ad anum usque promoveri valent. Hanc excipit tertia, nervea nempe, acuto, exquisitoque sensu pollens, quæ tamen intus pituitâ intestinali obducta, vel, secundum aliquos villosa dicitur, quod velamento quasi bombycino, tutelæ gratia, obducta videatur, atque innumeris præterea glandulis, rugis itidem, sive valvulis conniventibus, cellulisque instructa est, sub quibus vasorum quoque sanguineorum, lymphaticorum, aliorumque

rumque innumerabiles propagines repunt, ut ex iisdem non tantum alibilem succum omnes prædictæ intestinorum tuni-
cæ hauriant, sed etiam in glandulis secreta lymphæ unâ cum
affluente bile ex hepate, succoque pancreatico, intestina hu-
meſcet, chylum verò diluat, fluxilioremque reddat. Hæc
ipsa verò sufficienter, ut putamus, descripta intestina, ratio-
ne substantiæ suæ tenuioris & crassioris, capacitatis itidem
amplioris, angustiorisve, dividuntur in *tenuia*, quorum tria,
duodenum, jejunum, & ileum, crassaque, pariter cum prioribus
numeri; *cæcum, colon, rectumque* appellata. Quatenus igitur
ab acrimonia in illis præſente, abraditur primò illa pituita,
intestinalis, seu crusta villosa, stimulantur deinceps, rodun-
turque reliquæ tuni-
cæ, integumento suo spoliatæ, & quasi
nudæ, earumque vasa & glandulæ, inque hos canales hi-
antium ductuum, cholodochi & pancreatici orificia, ut in-
virè à se sanguinem, reliquosque contentos humores dimit-
tant, motusque peristalticus fistularum harum, ultra naturæ
consuetum morem, acceleretur, & multiplicetur, quo demum
fit, ut liquati copiosius humores sæpius deſiciantur.

§. 10. Neque verò cuidam adeò difficile erit conji-
cere, an *tenuia*, an vero *crassa intestina* magis laborent, qui fi-
tum & naturam doloris, modumque excretionis accuratè
perpenderit. Quod si enim dolores circa umbilicum, at-
que in illis & lumbis, iidemque vehementiores divexent ma-
gis, prætereaque cruor, pus, bilis, atque ramenta tenuiora,
quæ ab intestinis abraduntur, fecibus intimius permixta
sint, & egestio harum longius à dolore succedat, sympto-
mataque alia atrociora, ut sitis, vomitus, atque anorexia
acerbius urgeant, *tenuia* magis affecta esse, arguere fas est,
cum *crassis* magis laborantibus, ramenta crassiora & latiora
paulò, mucosaque admodum, atque tum hæc, tum sanguis
excrementis non intimius permixta ejiciantur, dolorque ma-
gis infra, & juxta coli situm à latere dextro, sub fundo ven-
triculi ad sinistrum vergat, serpatque. Ut taceam, quod post
tor-

tormina, remissiora paulò, excretio fecum celerius contingere solet.

§. 11. *Post subjecti principalis considerationem progrediendum est ad minus principale, quod sæpe partes adjacentes, ventriculus, hepar, mesenterium, aliaque, pro gradu morbi majori, minorivè, constituunt; docent enim observationes practica, & anatomica, ventriculum nauseâ, singultu, vomituque exerceri, eundem erosum, hepar flaccidum, folliculum biliarium bile refertissimum, omentum & mesenterium glandulis valdè tumidis, pureque repleta, imò omnia cum intestinis sphacelo corrupta reperta fuisse. Præter has verò partes totam Massam Sgneam, spiritusque pro subjecto minus principali quoque laudare, tum febris, tum deliriorum præsentia sæpe suadent.*

§. 12. Tandem & circa subjectum principale, intestina nempe, monendum restat, eadem modò *essentialiter*, modò *consensualiter* affici. *Istud fit, quando materia acris intestina vellicans, & rodens in iis primario collecta est; hoc verò, quando vel particulae Aeō & Ozæ volatiles, & fermentativa impura, acres, miasmatis contagiosi nomine venientes, tam inspiratione, quàm transpiratione hausta, cum Massafang. communicantur, eidemque similem dispositionem acrem & fermentativam inferunt, circulationisque sanguinis lege ad intestina quoque convehuntur, ibidemque irritationem, & satis notam tragediam excitant, qua dere, proci dolor! dysenteria maligna, & epidemia satis testantur; vel etiam citra miasma tale ab extra haustum, ex variis corporis partibus unà cum sanguine Oia acria, atque fermentativa ad intestinorum tubum mittuntur.*

§. 13. In definitione affectus nostri *causam*, puta *immediatam, sive proximam*, nuncupavimus *irritationem & resolutionem intestinorum insignem*. Quemadmodum enim excretio fecum naturalis semper sui causam agnoscit lenem, modificatam, & non laudentem intestinorum, irritationem & stimulationem,

tionem, quæ motum peristalticum eorundem promovet; ita
 contra in dysenteria canales hi membranacei, irritantur non
 solum gravissime, quare etiam spasmodicè ac dolorosè iidem
 sese contrahunt; motusque eorum peristalticus ultra naturæ
 consuetum morem acceleratur; sed & tunica, glandula, du-
 ctus, vasculaque longissimi hujus, à pyloro ad anum usque
 protensi tubi, eroduntur, ut hoc pacto morbus solutæ uni-
 tatis majori, vel minori gradu consurgat, quem deinceps,
 erosus, ac multum destructis jam nominatis partibus, excre-
 tio copiosa non secum solum, sed & sanguinis, bilis, humo-
 rum lymphaticorum, è pancreate, glandulisque intestinalibus
 stillantium, ipsarumque interdum glandularum, & ramento-
 rum tunicarum intestinalium, quæ sub forma caruncularum
 carnearum per anum ejiciuntur, ut umbra corpus sequitur. Pa-
 tet verò & hoc loco clarissime, quod ab unitate tunicarum,
 vasorumque intestinalium solutâ, horum canalium exulcera-
 tiones, inflammationes, sphacelusque ipse, circulatione sangui-
 nis nempe, minus legitimo more in iis procedente, sed eodem
 stagnante, acrimoniam concipiente, & ichorecente, gradu
 majori, vel minori non rarò eveniant. Imò & febris causa simul
 in promptu est, dum enim ab intestinis per vasa lactea unâ cum
 chylo & lymphâ particule ichorese, acres, & fermentificæ
 ad massam sanguineam deferuntur, turbatur ejusdem mix-
 tura & motus, febrisque plenis erumpit velis; ut non dicam
 quâ ratione à defectu humidi naturalis blandi, jam partim
 multum immutati, partim per excretiones frequentes simul
 nimis subtracti, præsentia dolorum atrociorum, atque abun-
 dantia particularum acrimiarum, biliosarum, & fermentifarum,
 in ventriculo, intestinis, totaque massâ sguæa, stabulantium,
 fitis intensa, inappetentiâ, vigilia, deliria sæpè, convulsio-
 nes, aliaque mala oriantur.

§. 14. Irritationem & rofionem intestinalium insi-
 gnem, quam pro causa immediata affectus nostri laudavimus,
 causantur humores acres Ono. Aei, in intestinis præsentés,

houp

B

ad



adeoque *causam mediatam proximior* constituunt. Non autem frustra accusamus humores acres; notum enim est, quod omnia acria irritent, graduque majori talia simul rodant; dicimus eos *Œno. Acreos*, quia omnis acrimonia irritans principio *Œno* principaliter adscribenda est; neque verò hoc solum ferè sufficit ad explicanda satis dysenteriae phaenomena, sed modificatum esse debet à principio *Acreo*. Pater hoc exemplo colicæ quæ talis, sine alvi fluxu evenientis, in quâ ab acrimoniâ *Œna* insigni atrocissima excitantur tormina, citra dejectiones tamen, sed potius cum satis pertinaci alvi obstructione, contra, ubi adest acrimonia biliosa simul, seu *Aëa* fermentifica explicata, atque expansa, ibi humores magis liquantur, & postea copiâ & acrimoniâ stimulantés, ejectionem citant: Illustrat dicta nostra purgantium vis, quam omnem ab acrimoniâ *Œno. Aëa* unice arcessendam esse acutissimè judicat, probatque laudatus *Wedelius Amaw. Mat. Med. lib. 2. f. 3. p. 235.* *Œe* enim & *Aë* purgantibus penitus ablato, non purgant; quare forsàn non erramus, si cum multis dysenteriam hypercatharsin spontaneam, à principio intrinsecò factam vocamus, cum purgantia fortiora, & imprimis colocyntiaca dysenteriam non raro producant.

Sunt autem humores acres *Œno. Aëi* nominatim biliosi, è ductu biliario, & lymphatici, è pancreatico, innumerisque intestinorum glandulis in horum cavitates confluentes, atque acrimoniâ p. n. sigillati. Verbo, quando dicti humores imprægnati nimis sunt particulis *Œnis* præcipuè, nec non *Aëis* invicem confermentantibus, tunc intestinorum irritationem, rosionem, humorumque liquationem & profusionem nimiam inducunt. Quòd *Œia*, five sint acida, siue alcalica, five etiam enixa, *Œsa* simpliciter dicta, acrimoniam insignem possideant, adeoque partes solidas non solum irritent, ac vellicent, sed & penitus corrodant, de hoc dubitare tum eorundem effectus, tum structura mechanica nobis non permittit. Quis enim quæso ignorat,

quod

quod omnia Sia lingua, ad explorandam eorum naturam tradita, acrimoniz sensum, vel minorem vel majorem, ratione structuræ suæ in papillis ipsius nerveis excitent. De uirtute verò partes solidas corrodendi, effectus eorum causticus, & catharticus in excitandis fonticulis, absumendisque excrescentiis variis satis testatur. Ex iis verò omnium potentissima sunt acida, exemplo Crystallorum Lunæ, butyri gnil, Vis, aliorumque, quæ brevissimo temporis spatio, & quadam ex his sine dolore ferè partes solidas exulcerant, corrodunt, atque absumunt; duo reliqua, alcalica nempe & enixa, acidis activitate qualem cedunt, attamen eorundem virtutis laudatæ testis, exceptione omni maior existit experientiâ. Sia ratione structuræ mechanicæ, ex meris spiculis rigidis, acutis, cuspidatis, hamatisque constare, non tam bene oculus nudus quidem, quàm potissimum armatus cognoscit. Hæc igitur in liquore quodam convenienti soluta, facillimè poros partium solidarum cum eo intrant, & postea tum pungendo, tum scindendo fibras, continuitatem earum solvunt.

§. 16. Parum verò huc refert, sive ab ingestis, tum quantitate, tum qualitate peccantibus, dicti humores acrones facti, sive contagio maligno tales redditi, seu in totâ massa sanguineâ, aut his, vel illis corporis visceribus, ab inflammationibus, abscessibus, corruptis, sensim enati, ibidem collecti, & tandem ab his, tanquam partibus mandantibus, ad intestina, seu corporis totius quasi cloacam missi fuerint.

§. 17. Quod si acrimonia fermentativa in intestinis præsens, & in primis miasma contagiosum sibi conjunctum, habens, glandulas, ductus & tunicas irriter, serumque acibilem in illis eliquet magis, quàm ut has partes corrodât, & vascula sanguifera aperiat, contingit dysenteria alba, sive, *αλ' εζοχνη*, talis; quando nempe mucus intestinorum viscidus, albus, vel chylosa lactiformia solum excernuntur; sive, secundariò talis, vel incruenta, aliis quoque humoribus,

non verò cruentis admixtis; quorsum & textura tunicarum
 intestinorum, vasorumque capillarum eorundem, paulo fir-
 mior non parum conferre videtur. Quà verò etiam ratione indolens dysenteria fi-
 ri queat; hic dicendi commodus est locus, quidam, cum ip-
 sam nec in praxi observaverint, nec modum fieri benè à
 nimo concipere valuerint, eandem penitus negare ausi fû-
 re, sed datur, teste experientia; fideli rerum, magistra; reve-
 ra dysenteria indolens, quâ laborantes ab ipso invasionis
 momento, ne minimum quid doloris percipiunt, cum tamen
 sanguinolenta excernant. Talem observavit aliquoties jam
 laudatus *Wedelius* in dysenteria ipsa epidemica, quæ Anno 1669,
 viciniam Gothanam divexavit, ubi mulieres, viros & pueros
 aliquot invasit, & licet mitius ægrotare viderentur, omnes
 tamen fûere mortui, generosis licet adhibitis bezoardicis &
 specificis, uti testatur *Ephem. Germ. dec. 1. Anno 2. obs. 4. 3.*
 Triplicem verò & ibidem istius causam reddit; Accusat enim
 (1.) malignitatem majorem, quæ dolorem obtinere primas
 non permittit, sed pleno passu ad corruptionem inclinat. (2.)
 constitutionem intestinorum gangrænosam. Fingat enim
 quis, scribit, si illud dari non statuit, cauterium indolens,
 quod, ob agendi energiam sensu omni partem, cui applica-
 tur, exuit; pari ratione corrosivi humores tantum quando-
 que pollere possunt, ut omnem sensum tristem excludant,
 intestinis statim quasi sphacelatis. (3.) Mentem simul labo-
 rare interdum, ut fit in phrenitide, & alibi; quæ tamen ultima
 causa jungi quidem potest, sed ipso iudice non omne exhau-
 rit punctum. Reperiuntur verò, & ne pauca quidem tam
 intra corpus, quam extra idem, quæ generationi humorum
 acrium & fermentescibilium in intestinis ansam dare, atque
 ad labem hanc disponere valent, quæ vulgò *causarum medicas-
 tarum remanentium* nomine veniunt.

§. 19. Ad has pertinet in primis è *rebus naturalibus* commu-
 niter dictis *temperamentum, atque ætas*. Licet verò quævis subje-
 cta,

eta, five hoc, five isto temperamento polleant, à lue hac atroci, experientiâ teste, corripantur; attamen præ reliquis temperamento gaudentiâ cholericò, quippe in quibus exsuperant particula biliosa, ad eandem sunt disposita, sicuti temperici phlegmaticæ homines ob calorem, tonumque ventriculi & intestinorum paulò debiliorem facilius quoque hoc malum, præ aliis sustinere sæpe tenentur. Respectu *etatis* hic morbus tam universalis etiam est, ut nulli parcat, licet infantes, pueri, & adolescentes, tam ob causas phyficas, quam morales frequentius ferè eòdem laborent.

§. 20. *Ex non naturalibus, Aer*, quam maximè commemorandus venit, qui, cum sit receptaculum effluviòrum, ex omnibus corporibus exhalantium, vectorque miasmatum, facile turbatur in motu, & mixturâ suâ, inque corpus nostrum *inspiratione & transpiratione* latus, tum qualitatem, tum motum humorum corporis nostri naturalem pervertit, ac p' n. ipsis inducit. Spectat verò huc potissimum aer effluvijs fœtidis, rodentibus, & putrescentibus, tum cadaverum, tum insectorum venenatorum, & excrementorum alvi, aliisque corruptus, hæcque causa ferè primaria est dysentericæ epidemici istius, quæ militum turbas in castris atrocibus sæpe prosternit, quam armatus hostis.

§. 21. Cum dicta causa de principatu quasi dimicant *esulenta & potulenta*, quæ tum *quantitate* tum *qualitate*, potissimum peccantia, vel humores acres, mordaces, & fermentativos in corpore gignere, vel jam præsentés augere possunt. Quam maximè huc faciunt acria, acida, acerba, dulcia, fermentescibilia, & corruptionem faciliè subeuntia, qualia sunt fructus æstivi, atque autumnales, ut ribes, pruna, cerasa, pyra austera, poma acida, Persica, uvæ, melones, cucumeres, nuces juglandes & avellanæ recentes, & imprimis nondum penitus maturæ. Eò manifestiores verò laudati fructus noxas parant, quando iudem rubigine atque uredine, aut acris insectorum excrementis, eorumque seminibus, aut rore

noxio contaminati, corruptique sunt, qua de re elegantissimam observationem D. *Simon Schulzius*, *Ephem. Germ. Dec. I. ANN. 3. obs. 88. p. 123.* inferuit, qua dysenteriam lethalem ex esu brassicæ capitatæ, noxio rore infectæ ortam, recenset. Ex *potulentorum* genere referri huc debent cerevisia recens, non benè fermentata & defecata, item vetusta, ac nimis aciescens, mustum, atque vina recentia, acidaque, copiosius hausta. Ut nihil dicamus de aquis impuriorebus, fœtidis, stagnantibus, seminis verminosis, aut particulis mineralium acribus & rodentibus imprægnatis, quæ priores à militibus tempore æstivo affatim quandoque hausta, dysentericæ strentis causa esse solent. Mentio item hoc loco faciendæ *venenorum*, nec non *purgantium* violentiorum, minus benè preparatorum, ut colocynthiacorum, helleboratorum, euphorbii, gummi gottæ, esulæ, mecerzi; Ex illis verò arsenici, & sublimati, aliorumque, vel per os assumptorum, vel etiam per anum injectorum.

§. 22. *Somni & quietis* usus incongruus ad producendam dysenteriam aliquid conferre potest, quatenus sufficiente corporis motu humores torpidi fiunt, ut minus vividè in intestinorum vasis moveantur, sed in plicis intestinorum diutius hæreant, quare acrimoniam simul concipientes facillè inflammationes, rosionesque excitant. *Commotiones fortes & exercitia corporis violentiora, nec non animi perturbata graviora*, partim exagitando nimis atque turbando humores & spiritus, motumque horum impetuosum ad intestina, & in iis p. n. concitando; partim eosdem figendo & concentrando, sicque motum nimis lentum, caloremque debilem producendo, ad affectus nostri generationem suam addunt symbolam; idem etiam dicendum est de *excernendis recentis*, v. gr. mensium, hæmorrhoidum, transpirationis insensibilis, aliarumque excretionum suppressione. Quando enim onerosus corpori sanguis debito loco & tempore non excernitur, facillimè peregrinam & acrem qualitatem induit, & simul

mihi per insuetas vias sibi exitum quaerit; transpiratione vero insensibili impedita, serum superfluum oleoso-acre in massa sanguinea turgescit, atque ad intestina translatum, eadem irritat, motum peristalticum accelerat, nec non tunicas & vasa rodit, ac aperit.

§. 23. Ex praternaturalium numero varia huc spectant, v. gr. intemperies, inflammationes, corruptionesque viscerum, infimi ventris imprimis, ut ventriculi, hepatis, pancreatis, aliorumque; nec non intemperies sanguinis biliosa, falsa, ac scorbutica, contagium itidem, vermes intestinorum, aliaque corporis vitia hinc inde se exerentia. Ita dysenteriam ob ulcus pedis curatum ortam lethalem recensent *Ephem. Germ. Dec. 1. Ann. 2. obs. 213.*

§. 24. Huc usque igitur dicta facillimo negotio dysenteriae differentias nos docebunt. Alia nempe est *siens*, quae solum intestina abstergit citra rasionem, ut ideo etiam mitiores adsint dolores; Alia vero est *facta*, ubi omnia symptomata sunt exacerbata, & gravior adest status; Alia *intensa*, alia *remissa* vocari potest. Alia quoque *vera*, sive *exquisita*, quae febrim sibi junctam habet, praevio nempe saepe horrore, & subsequo calore; Alia *spuria*, hoc est, citra febrim visenda, quae quasi diarrhoea est gradu intensiori, sed haec paulo rarior. Alia respectivè *benigna*, mitioribus stipata symptomatibus, alia maligna & contagiosa, comitata febris intensiori, anxietate circa praecordia summa, petechiis, faucium ardore, inquietudine, subitaneâ virium prostratione, li-phymiiis, aliisque saepe malignitatis notis. Alia *cruenta*, alia *alba*, sive *κατὰ ἔξοχὴν* talis, sive *in Cruenta* saltem. Alia *indolens*, de qua supra egimus, alia *dolorifica*. Alia *essentialis* si in ipsis intestinis materia acris, vellicans, & rodens primario fuit collecta; alia *consensualis*, si aliunde, tanquam ex foco, materia dicta ad intestina fuit missa. Alia *epidemia*, sive *popularis*, quae plures ex causa communi, transseunte tamen, nempe vel vitio aeris, vel victus & vitae generis afficit; Alia

lia *individualis*, quæ hoc, istud ve subjectum, ob causam individualem corripit. Alia occasione cause *externæ*, alia *internæ* nata. Aliaj intestina *tenuia*, alia *utraque* magis affligit. Alia *cum tenesmo*, alia *citra* eundem. Qua ratione verò affectus noster ab aliis, sibi magis, minusve similibus, discerni queat, ex supra dictis constare potest.

§. 25. Neque verò etiam opus habemus de *signis dysentericæ* veræ *diagnostics* adeò esse solliciti, cum ipsius *essentialia*, nempe alvi fluxus frequentior, modò cruentus, modò albus, modò variegatus, cum febre, & in dysentericâ Epidemiâ, ac summis ut plurimum doloribus satis superque ipsam patefaciant.

§. 26. Hæc recensita *pathognomonica*, seu essentialia excipiunt varia, *post essentialia* dicta, qualia sunt sitis ingens, ardor oris & faucium, inquietudo, jectigatio corporis in lecto, pulsus celer vel frequens, non raro etiam angina, deliria, petechiæ, nausea, vomitus, qui interdum cruentus, singultus, ischuria, dysuria, cardialgia, anxietas, palpitatio cordis, syncope, motus convulsivi, ani item procidentia, in tenellis inprimis, tenesmus, aliaque, quæ, licet aliàs communia sint, attamen in hoc affectu quoque gradum & vehementiam ejus majorem, minoremve exponunt. Facile etiam est magis minusvè malignam ex febre intensiori, subitanæ virium debilitate, malo epidemice grassante, & reliquis pessimis symptomatibus, utpote malignitatis notis, discernere.

§. 27. *Prognostica*, quæ nempe eventum morbi, tempus eventus, ac modum hujus docent, quod spectat, tenendum etiam hîc, circa nostrum affectum est illud præceptum generale *Wedelianum*, omnem prognosin instituendam esse ex collatione, & proportionem naturæ ac morbi, proinde, quò signa & symptomata statui naturali sunt propiora, eò melius; quò remotiora verò, eò pejus augurandum est. Hoc præsupposito facile quidem constat, quod dysenteria vera affectus satis periculosus sit, cum non solum intestinorum actio
circa

circa separationem chyli à fecibus, harumque ad tempus af-
 fervationem, postea verò excretionem aliàs diligentissimè oc-
 cupata, nimium turbata fit, sed & spiritus animales à dolo-
 ribus istorum spasmodicis quàm maximè irrequieti & valde
 langvidi fiant, verbò omnia unà cum febre, toti machinæ
 interitum minentur; attamen de bono eventu non penitus
 desperandum est, modò ægri natura adhuc robusta & vegeta,
 curatio non nimis diu dilata, fuerit, & pessima symptoma-
 ta, insignisque malignitatis absint signa, æger quoque &
 adstantes præceptis medici probè obsecudent.

§. 28. *Meliorem proin eventum præfagit siens, præ facta*
 seu confirmata, spuria præ exquisita, respectivè benigna,
 pro malignâ, epidemiâ & contagiosa; hæc enim naturam mor-
 borum extremè peracutorum, & simpliciter acutorum ad-
 sumit, & vel die tertio, aut quarto, aut septimo, quan-
 doque etiam intra hunc & vigesimum correptos non raro e-
 necat; Interdum tamen dysenteria terminum morborum acu-
 torum simpliciter talium excedit, & fit saltim acuta ex de-
 generatione, quando nempe tandem abit in lenteriam, id
 quod inprimis debilitati ventriculi & intestinorum, paucitati
 caloris, item menstruo & tono corrupto adscribendum est;
 imò & hydrops interdum eandem excipit, ac finem vitæ facit.
 Istas verò dysenterias, quam *maximè lethales* pronun-
 ciare, jubente id experientiâ & ratione, æquum est, quæ à
 sui initio dolorum planè expertes sunt, ut & eas, in quibus
 tormina subito cessant, sine aliis signis bonis; nam ex inde
 facile colligi potest, quod sphacelata sint intestina. Pariter
 & istæ *summa periculosa* judicandæ sunt, quibus tormina sunt
 mitiora, reliquis signis malis; hi enim decumbentes sæpè
 ex improvise pereunt; nec non ex, in quibus multa puru-
 lenta, sanguinolenta, summè graveolentia, & cadavero-
 sum odorem spirantia, atra itidem, aliaque, veluti sunt ca-
 runcula; juxta *Hippocratis Aphor. 24. & 26. libr. 4. excernun-*
 tur, qui divinus senex duas posteriores species prorsus le-
 thales

thales pronunciat. Hæc omnia quippe magnam humorum corruptionem, atque acrimoniam, insignem intestinorum, rosionem & exulcerationem, vaforumque apertionem, vix ad naturalem statum reducendum, notant. In pessimis etiam habendum est, si adfit frigus externorum, cum internorum æstu, & in malignâ calor summus, nulla tamen fitis; innuit enim mentis abalienationem; nec non si à decursu humorum malignorum ad intestina in variolis, aut morbillis oritur dysenteria. Quod si quis hoc loco reliqua sæpè evenientia symptomata sub signis post essentialibus fusè recensita, simul in examen vocare, & æstimare velit, quantum à statu naturali abeant, gradui & vehementiæ affectus adæquatam prognosin formare poterit.

§. 29. Ratione *subjecti ut quod*, seu personarum, hunc affectum tolerantium, censemus, quod periculosius eo infantes, pueri & senes, ferè decumbant, præ in florida & virili ætate constitutis. Infantes enim & pueri ob iudicii immaturitatem dictis medicorum non solum adeò audientes non sunt, sed etiam tenerioribus, humidioribusque gaudent fibræ intestinorum, quare faciliè corruptionem majorem subeunt; Senum verò vires ob spiritus vitales pauciores & debiliores morbo huic graviplerumque pares non sunt ferendo. Negandum tamen non penitus est, quod sæpè juvenes præ senibus hoc morbo mortui observati fuerint, id quod ut plurimum istorum nimis circa diætam errori, bilisque copiz & acrimoniz, horum verò accuratori diætæ, siccitatique, adscribendum esse arbitramur. Præterea hoc loco notatum dignum est, quod gravidæ dysenteriam correptæ facilius sæpè liberentur, uti hoc ipsum multi in arte salutari celebres artifices observarunt. Idem etiam annotavit *Bartholinus AA. Hæsn. vol. 2. p. 133.* ex illustris Wedelii literis; cum tamen alias gravidæ, morbo acuto decumbentes, communiter periculosiorem cæteris degant vitam. Ratio verò phænomeni hujus hæc forsitan est, quod per naturam ob intestinorum compressio-

pressionem ad adstrictam alvum sint dispositæ. An verò secundum quosdam etiam hoc affectu laborantes gravidæ, non facilè patiantur abortum, sed plerumque post partum à dysenteria liberentur, id quod observasse se aliqui perhibent, hoc accidisse quidem aliquando non negamus, attamen etiam perpetuè id veritatis esse minimè existimamus. Videtur verò posterius ob hanc rationem forsàn contingere posse, quod natura tunc, unà cum lochiis humores acres & fermentificos extra corporis limites propellat, adeoque impetus ad intestina cesset.

§. 30. Tandem ratione *subjecti primarii ut quo*, intestinorum nempe, periculosior ista dysenteria censenda est, in quâ tenuia intestina præ crassis magis laborant; istis enim, ceu tenerioribus, ventriculo proximioribus, & usu quoque his præstantioribus, graviora symptomata, ut singultus, vomitus, aliaque superveniunt.

§. 31. *Salutis* spem nobis hic faciunt, quando symptomata sunt leniora, aut gravia sensim mitescere incipiunt, excrementa ad statum naturalem iterum vergunt, medicamenta benè operantur, nec non appetitus & somnus redeunt.

§. 32. Multos verò & hæc lues, quos nec brevi extinguit, nec qui eadem liberantur, lentâ viâ ad mortem ducit, dum post se hienteriam incurabilem sæpe, item hydropem, aut exulcerationem fordidam, quâ multa purulenta rejiciuntur, relinquit, sicque sensim ægotantem consumit.

§. 33. Expositis itaque iis, quæ ad cognitionem affectus nostri faciunt, tradenda restat ejusdem *Cursus*, quæ *indicantibus*, *indicationibus* convenientibus, & his exactè respondentibus indicatis, sive *remediis*, è *triplici fonte*, scilicet *pharmaceutico*, *chirurgico* & *dietetico* petitis, absolvitur.

§. 34. *Indicantia* in præsentî affectu sunt imprimis *acrimonia Feo-Theta*, intestina stimulans, atque rodens, indeque dependens eorundem exulceratio, nimius alvi fluxus, ac dolor, nec non quàm maximè febris, vires debiles

aliaque plura, quæ utique indicationem pariunt *curatoriam*, *preservatoriam* & *vitalem*, non exclusa *symptomata*, symptomatica scilicet urgentia respicientem. *Curatoria* præcipit, ut soluta unitas intestinorum consolidetur, exulceratio eorum abstergatur, & quam maximè compescatur. Huic auxiliatur *preservatoria*, quæ materiam morbificam tum temperando, invertendo, ac discutendo corrigere, tum, pro re natâ, blandè evacuare jubet. *Vitalis* denique suadet, restaurare vires, tonum ventriculi & intestinorum roborare, fluxum nimium cohibere, ubi insimul quoque ad symptomatum urgentium mitigationem respiciendum est.

§. 35. E fonte *pharmaceutico* haurienda sunt tum *evacuantia*, tum *alterantia*. Ad ista pertinent primò purgantia, sed blanda, quæ in principio statim adhibita, amurcam stimulantem acrem atque fermentativam placide abstergunt, atque educunt, adeoque causam tollunt. Omnibus verò laxantibus ejusmodi palmam præripiunt *Rhabarbarina*, imò, ipsum solum in pulvere ad ℥i vel ʒß. pro subjecti modulo exhibitum, ferè optimum, quippe quod non solum alvum blandè moveant, sed & ratione suarum particularum terreorum, ac mucilaginearum vim suam tonicam atque adstringentiam exerant, ut adeò ad alia in hunc finem confugere, ferè non opus habeamus, Imò laborantibus magis crassis intestinis aliquando Clysteres lenientes ac vulnerarii locum habent, & mirificè conducunt, quia intestina magis, minusvè exulcerata leniter eluunt, atque abstergunt. Tepidè verò iidem injici debent, nec acria recipienda ingredientia. Tales preparari possunt ex rad. alth. lil. alb. symphit. liquirit. torment. bistort, Hb. plantag. malv. consol. fanicul. millefol. fl. chamom. hyperici, balauft. ros. rubr. papav. err. verbasc. sem. psyll. cydon. lini, cum aq. vel lact. bubulo chilibeat. sevo cervino, vel hircino in vitell. ovor. solutis, saccharo thom. alisque, sive sint majoris, sive minoris apparatus.

§. 36. Quod si materia acris biliosa, & cruditates alia, in primis viis in insigni copia peccent, id quod sæpè à pravo victu in castris fieri solet, morbusque cum nausea, imò vomitu ipso quandoque, non verò cruento, initium capiat, ægerque quoad reliqua dispositus sit, tunc in morbi statim principio, viribus adhuc constantibus, mitiora locum habent *emetica*, quæ id sæpè efficiunt, ut morbus deinceps reliquis medicamentis promptius auscultet, & in herba quasi suffocetur. Exhiberi equidem in hunc finem, positis laudatis circumstantiis & permittentibus, potest ꝑ emeticus, dosi minori, à gr. ß. vel i. ad iß. pro subjectorum ætate; postquam verò virtus emetica & antidysenterica radicis *ipæcacuanhæ Americanæ* innotuit, consultius forsan hæc exhibetur à ß-gr. xii. ad xv. & Si, imò ferè amplius, licet rarius, pro diversitate nempe subjectorum, & quidem in formâ pulveris. Commendatur verò hæc radix in dysenteria potissimum ex hoc fundamento, quod post editam virtutem vomitoriam, roborantem quoque suam & adstringentem exerat. Legi de hisce potest laudati *Wedelii* industria, quam in dissertatione *de ipæcacuanha Americana & Germanica* ostendit, ubi multis exemplis benignum ipsius usum, in dysenteria imprimis, nec non aliis morbis comprobat. Notatu quoque digna hîc de vomitoriis est cautela *Wedeliana*, ibidem posita, p. 32. *Cæterum malignitate & acrimonia minari tutius dantur emetica etiam in dysenteria; majori vero eadem ac prædominante, vel omittenda penitus, vel cautius longè propinanda.*

§. 37. Evacuantibus, insimulque alterantibus in morbo præsentî salutaribus, accensenda etiam sunt *diaphoretica*, & imprimis virtute bezoardica, seu *alexipharmacâ* insigni simul prædita. Quippe quæ non solum acrimoniam biliosissimam, tam in primis viis, quàm in massa sanguinea egregie absorbent, infringunt, ac temperant, sed & miasma perennum fermentativum per sudorem extra corporis limites proscindunt, adeoque febrem, dissolutionem principis vitalibus

fibus intentantem, compefcunt, ut hinc facile pateat, quod summa in hoc affectu curando provincia ipsis merito demandanda fit, præmissis, vel omiffis etiam laxantibus atque vomitoriis, pro diverfis nempe circumstantiis. Spectant igitur huc tum volatilia, tum media, tum fixa, pro indicationum diverfitate curatè propinanda, & interpolanda. Circa initia enim dysenterix malignæ epidemix ad exterminandum contagium, volatilia cum mediis mixta, officium quàm maxime faciunt, quibus deinceps jungenda & interpolanda sunt fixiora; imò per totum morbi decurfum media cum fixioribus exhibenda sunt. Ita, quando urget *malignitas*, atque *anxietates* adfunt, liq. C. C. succinat. ☉ bezoard. Wed. aliaque volatiliora sæpe opem salutarem præstant. Selectiora bezoardica ex *liquidis* sunt. Ra bezoard. Wed. Ludovici, Eff. theriac. balsam. Wed. & simpl. ~ theriac. camphor. R. corall. cum spiritu C. C. parat. ~ ebor. C. C. ▽. scord. scorz. fl. sambuc. galeg. cinnam. cydoniat. cord. Hercul. sax. frigid. decoct. hord. cum rad. scorz. torment. item rasur. C. C. parat. syr. corall. de scord. Ex *spissis* theriac. Androm. elect. dialcord. Fracast. theriac. cœlest. extr. zedoar. theriac. Ex *ficcis* pulv. bez. Senn. Wed. major. & minor. pannon. rubr. spec. de hyacynth. ♂ Zale, diaphor. unicorn. fossil. ▽ figill. Lemn. bol. Armen. corall. rubr. ebor. f. Δ lap. bez. or. & occid. margar. C. C. ust. & Philos. pp. aliaque, quæ pro intentione medici in pilularum, bolorum, mixturarum, potuncularum, & imprimis in pulverum formâ propinari possunt.

§. 38. Licet verò jam recensita diaphoretica & bezoartica efficacissima *alterantia* præbeant simul, attamen præter hæc ista etiam huc referenda sunt, quæ virtute polleant *evacassandi ac sçgendi humores*, adeoque fluxum moderant; nec non parietes & fibras ventriculi ac intestinorum flaccidas, nimisque molles ac erosas firmandi, atque uniendi, caloremque roborandi, quo debitus tonus & calor his partibus redeat. Horum

rum classẽ unà cum bezoardicis fixioribus, jam dum recensitis
constituunt, v. g. pulv. torment. bistort. nuc. moschat. lap. ha-
mat. crystal. mont. pp. sang. dracon. conch. pp. ∇ catech. croc.
Alis adstring. trag. gran. act. extr. torment. bistort. niv. cydon.
R ∇ catech. ess. traumat. Wed. mumia, cinam. zedoar. ga.
lang. absynth. comp. Wed. & aromaticæ aliæ, pulv. supt.
Croll. atque Wed. qui, cum simul bezoarticus & aromaticus,
egregius est. Mentio verò & hoc loco facienda est ante om-
nia *opiatorum* v. gr. extr. anod. R. anod. pulv. anod. pilul.
de cynogloss. atque theriacal. opium quippe recipientium,
quæ omni tempore reliquis remediis miscenda sunt, quate-
nus nempe humorum nimiam fluxilitatem & acrimoniam
figendo, & temperando, eosdem corrigunt, atque vaporosi-
tate suâ spiritus blandè ligando, doloribus, vigillisque egre-
giè medentur, nec non vi sua diaphoretica, qua ob Δ reso-
lutum blandum, cum Θ e volatili maritatum gaudent, fe-
rum acre è massa sanguinea eliminant, adeoque pluribus
indicationibus satisfaciunt. Breviter, quicumque feliciter
curare satagit dysenteriam, is à morbi principio usque ad fi-
nem diligenter propinet bezoardica & theriacalia cum opia-
tis, stomachicis, & roborantibus mixta; in hoc enim totum
ferè curationis momentum versatur. Caveat verò quisque
sibi adstringentia sola, sibi relicta, adhibere, & imprimis à
principio, adeoque hoc pacto dysenteriam intempestivè sup-
primere, febrimque negligere, cum eandem suppressam,
parem, inflammationes & abscessus viscerum variorum, &
quam maximè mesenterii excepisse observationes testentur.

§. 39. Si ullo in affectu, certè in nostro quoque ista
medicamenta externa egregiè sese commendant, quæ blando
suo calore fibras abdominis tenfas demulcent, foveant, & le-
niter emolliunt, porosque aperiunt, ut humores acres per
insensibilem transpirationem non solum discutiantur, sed &
corrigantur, ac temperentur, adeoque dolores imminuantur,
nimis verò laxas, caloremque infimi ventris roborant. Ad-

hiben.

hibentur hæc talia potissimum in formâ *foveum, sacculorum, linimentorum, & emplastrorum*, atque materiam eorum constituunt paregorica, carminativa & stomachica. Ita emplastra talia ex tempore præscribi possunt, ex emplastro de baccis laur. de crust. pan. cerot. stomach. Crat. ꝰ nucist. express. & theriacâ Androm. cum ꝰ is destillat. carminativis & stomachicis. *Linimenta* fieri possunt v. gr. ex ol. nucist. expresso, vel solo etiam, ope caloris liquefacto, nec non hyosciam. mastichino, bacc. laur. ruta, castor. & destillat. menth. anis. carv. caryophill. macis, cort. aurant. chamom. nucist. aneth. fœnic. succin. alb. addito petroleo. *Sacculis* præbent materiam rad. zedoar. acor. galan. alth. Hb. menth. meliss. serpill. tanaceti odorat. organ. fl. chamom. Rom. & vulgar. melilot. verbasc. rosar. rubr. sem. 4. carmin. lini. bacc. laur. Iunip. fursurtritic. cort. citr. aurant. nux moschat. aliaque. Debent verò hæc omnia calida abdomini applicari, id quod & semper in tali statu observandum est, in illinitione sedula calida linimentorum, & sacculorum calefactorum. Neque verò improbamus, si calorem diutius servandi causa, opercula ollarum, vel lapides serpentinos calefactos, desuper ponere cuidam consultum fuerit. His instructi præditiis non opus habemus ex lanionum domiciliis omenta vitulina, arietina, aut vervecina recenter exempta accersere, eaque calida abdomini imponere, licet aliàs non æquè penitus rejicienda sint. Constat præterea experimentis Practicorum, quod salutaris sæpe inde consequatur effectus, si super ☉ Oli, imprimis calens, dysenterici alvum deponant; cui tamen soli non fidendum est. Molestissimum quoque symptoma, ægrotos nostros divexans, est *tenesmus*, & quandoque, in tenellis imprimis, aut *prociencia*. Tenesmus curandi fine commendantur vulgò suffitus, ano excepti ex mastiche, succin. oliban. fl. hyper. & quàm maximè verbasc. His autem ferè præferendos censemus sacculos linteos ex fol. plantag. polygon. querc. fl. verbasc. chamom. melilot. sem. lin. atque

que foenu Græci concinnatos, & vel in ∇ ferrariorum, vel lacte decoctos, atque post calidè ano applicatos. Prolapsum intestinum reatum, postquam prius vel oleis, vel lacte, tepidis emollitum, & postea repositum est, insperione pulveris pro suffitu laudati in loco suo detinendum est. Reliquis symptomatibus urgentibus e loculis materiæ medicæ convenientibus, & censu eorum, quæ aliàs respectivè in febribus malignis locum habent, prospiciendum erit.

§. 40. Ratione fontis chirurgici V. S. dysenterix, qua irritatio in intestinis, quàm ut à V. S. imminui ac revelli possit; præterea etiam corpus viribus non est depauperandum, quo hæc malignitati eò magis resistere queant. Quod si verò status anginosus adsit in faucibus, uti interdum contingit, tunc ad tollendum tumorem, & curandam inflammationem, sectio venarum sublingualium utique confert: Sicuti etiam vesicatoriorum ad brachia & latera nuchæ applicatorum in dysenteria maligna, quando adest metus convulsionum, & deliriorum, usus non parvi sunt.

§. 41. Fons denique diæticus exponit in affectu nostro convenientem *sax rerum non naturalium usum*, qui ad felicem ejusdem curationem summè necessarius est. Decumbat igitur patiens in conclavi temperatè calido, vitetque sedulo omnem *aerem frigidum*; hic enim poros occludendo, transpirationem seri acris, & maligno caractere imbuti impedit, unde facilè cordis anxietates, & indicia lethalia consequentur. Ideo lectus tegat totum corpus, quò id ipsum blandum experiatur sudorem, venter verò infimus litibus ac sacculis calidis per recensita foveatur; imò aerem bonis suffumigiis, tum in commodum ægri, tum adstantium corrigere admodum opportunum censemus.

§. 42. *Cibi*, in affectu nostro exhibendi pauci, quò natura his non gravata, causam morificam eò melius debellare queat, iique demulcentes, & roborantes, v. g. juscula

D

avena

avenacea, hordeacea, vitulina, panis probè fermentatus, ova
 forbilia, & inprimis pulmenta ex oryza parata. Quando ven-
 triculus carnes iterum appetit, quod in bonis habendum, ,
 exhibendæ ipsi sunt teneriores, quales sint v. g. leporinæ,
 vitulinæ, avium sylvestrium, nec non domesticarum pulla-
 cæ, quippe quæ benè nutriunt, & concoctu faciles sunt.
 Videntur verò omnia esculenta & potulenta, quæ supra cau-
 sis dysentericæ mediatis remotioribus accensuimus. E *potu-
 lentorum* genere laudanda venit *cerevisia* probè defecata, me-
 diæ ætatis, alterata injecto pane tosto, cui mediocri quan-
 titas nucis myristicæ affricta esse debet, non autem frigida,
 sed ad teporem vergens, Germani dicunt *wohl überschlagen*/
 imò horis matutinis calida cum vitello ovorum adsumma-
 tur. Commendandum item quam maximè est ob virtutem
 temperantem & roborantem decoct. hord. cum ras. C. C. rad.
 scorz. torment. & fl. buglossi. parat. cui adhuc calenti nodu-
 lus ex rad. galang. cinam. mace indi potest, quod hinc ca-
 lidum bibendum est. Neque verò potus siti, quæ sæpè ve-
 hementer urget, respondeat, sed temperet sibi ægrotans
 quantum possibile, eamque gelatinâ C. C. vel ebor. recenti
 & delicatâ, nec cum acidis, sed mediocri quantitate dul-
 cium paratâ, fallat, neque tamen & circa hujus usum exce-
 dat. Vinum vetustum bonæ notæ tum rubrum, tum aliud
 parcius concedi potest, inprimis declinante morbo, imò &
 ipsum in statu morbi, cum parte subtripla aquæ simplicis
 puræ mixtum, & horis pomeridianis modicè haustum, egre-
 giè non raro laborantes solatur, eosdemque juvat.

§. 43. *Motus corporis*, quantum morbus per infestan-
 tes sedes inducias dat, vitetur sedulo, sed corpus ad primum
 mali sensum quietum in lecto calido fervetur, quò natura
 sibi relicta, nec per motum defatigata eò feliciter hostem mo-
 lestum subigere queat, & ne fluxiones alvinæ accelerentur.
Somno etiam, utpote optimo dysentericorum solamini, omni
 cura studendum est, quare non solum omnes strepitus ar-
 cendi

cendi sunt. Sed & idem quiete ac medicamentis tam exter-
nis quàm internis, omni modo procurandus, ne vigilæ diu-
tius protractæ, irregularem spirituum motum efficientes, de-
liria & convulsiones accerfant. *Animi pathemata* graviora,
ut ira, terror, mœror, timor, penitus exulent, cum spiritus
& humores turbent, ac inordinatè moveant, adeoque, ex-
perientiâ teste, toto die pessima symptomata gignant; sit ve-
rò agrotantis animus tranquillus potius, & Deo confusus.

§. 44. Qua ratione *excreta alvina* in affectu nostro,
quàm maximè peccantia, in ordinem redigenda sint, illuc
tota opella nostra collimat. Attendendum saltem circa ea-
dem est, ne eadem latrinâ cum agroto utentes ab effluviis
contagiosis excrementorum per anum receptis, inficiantur, qua
propter sedulo ad locum dissitum statim removenda sunt,
ne nempe fœtore & contagio, tum agroto, tum aliis mole-
sta, vel penitus exitiosa fiant. Præterea curabit etiam pru-
dens Medicus, ut reliqua *excernenda & retinenda* quo-
que nec excessu, nec defectu, nec modo pec-

cent. Interim

DEO SIT LAUS & GLORIA
in Aeternum.



*V*ge! premis, CROLLI, vestigia clara Parentis;
Pergere si perges splendor eris Patriæ.

In honorem Clarissimi Domini Do-
ctorandi ad pos. cum voto omni-
genæ prosperitatis & felicissimæ
Præxeos

PRÆSES.

Laus

* (28) *



Aus est tum morbos alios, tum tormina
ventris,

cum febris & fluxu tollere summa graui.

CRÖLLIVS hanc, patris vestigia clara secutus,
Fortunæ cornu diuite honore parat.

*Αυτογεδιασι depropenab. fausta gratu-
lationis ergo*

GEORGIVS WOLFFGANGVS WEDELIVS.



Omne collato censeris dignus honoris,

Nomine dum scribis non nisi digna Tuo.

Honoris & memoria ergo
scrib. gratulabundus

IO. HADR. SLEVOGTIVS,
D. & P. P.



00 A 6272


f



TA-OL

Reho ✓





D. D. B. V.
DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS
DE

DYSENTERIA,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
D O M I N O

GVILIELMO HENRICO.
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM,
ANGARIAE ET WESTPHALIAE, & reliqua,

PRÆSIDE

RVDOLFFO GVILIELMO CRAVSIO,
HEREDITARIO in Mellingen/
PHILOSOPH. ET MED DOCTORE, PRAX. ET CHIM.
PROF. PVBL. ACADEMIAE SENIORE, ET COLLEGII
NAT. CVRIOS. COLLEGA,

Patrono, & Praeceptore suo aeternum devenerando,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia DOCTO-
RALIA, MORE MAIORVM ritè capeffendi,
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBMITTET

IOHANNES PHILIPPVS CROLLIVS,
GELNHVSA WETTERAVVS,
HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS,
IN AVDITORIO MAIORI,
A. D. Octobr. A. C. MDCCVIII.

J E N Æ,
Litteris KREBSIANIS.

